Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

tione vacaverit. Sabbato autem sancta hora diei ad ecclesiam processit, ascenso tribunali ex more populum salutavit, resalutatus a populo orationem dedit; collecta oratione spiritum exalavit. Ea tamen nocte in ecclesia vigilatus est, postera autem die, id est pasce, illuminantis lampadibus cum ingenti neophitorum pompa prosequente et turba populorum usque ad sepulchrum gloriosam atque laudabilem sepulturam ademptus est. Hec ideo commemoravi nobilitati tue, ut et hic meritum sancti Paulini agnoscas. Habes enim materiam dicendi, si tibi non desit fides credendi. Et ideo queso nobilitatem tuam, ut sicut promittere dignatus es, preclari operis munus accelerare digneris, consecuturus premia laudis et glorie, sancti vitam sancti viri pre ceteris perfectam versibus illustraturus. Utinam autem quam perfici feceris huius operis lectionis dignum me facias, quia si Christo placuit continuo navigare dispono. Obiit sanctus Paulinus x. kalendas Iulii.

Vita sancte Edeldrudis virginis et regine.

Accepit rex Egfrid coniugem nomine Edyldrudam filiam Anne regis orientalium Anglorum, cuius sepius mentionem fecimus, viri bene religiosi ac per omnia mente et opere egregii, quam et alter ante illum vir habuerat uxorem, princeps videlicet australium Gyriorum Tondberecht. Sed illo post modicum temporis ex quo eam accepit defuncto data est regi prefato, cuius consortio cum xii. annis uteretur, perpetua tamen virginitatis integritate mansit gloriosa, sicut mihimet sciscitanti, cum hoc an ita esset quibusdam venisset in dubium, beate memorie Wilfrid episcopus referebat, dicens se testem integritatis eius esse certissimum, adeo ut Egfridus promiserit se ei terras ac pecunias multas esse donaturum, si regine posset persuadere eius uti conubio, quia sciebat illam nullum virorum plus illo diligere. Nec diffidendum est nostra etiam etate fieri potuisse, quod evo precedente aliquoties factum fideles hystorie narrant, donante uno eodemque domino, qui se nobiscum usque in finem seculi manere pollicetur. Nam etiam signum divini miraculi, quo eiusdem femine sepulta caro corrumpi non potuit, indicio est, quia a virili contactu incorrupta duravit. Que multum diu regem postulans, ut seculi curas relinquere atque in monasterio tantum vero regi Christo servire permitteretur, ubi vix aliquando impetravit, intravit monasterium Ebbe abbatisse, que erat amita Egfridi regis, positum in loco quem Colubi urbem nominant, accepto velamine sanctimonialis habitus a prefato antistite Wilfrido.

Post annum vero ipsa facta est abbatissa in regione que vocatur Elege, ubi constructo monasterio virginum deo devotarum perplurimarum mater virgo et exemplis vite celestis esse cepit et monitis. De qua ferunt quia ex quo monasterium petiit, numquam lineis sed solum laneis vestimentis uti voluerit, raroque in calidis balneis preter imminentibus sollempniis maioribus, verbi gratia pasche, pentecostes, epyphanie, lavari voluerit, et novissima omnium lotis prius suo suarumque ministrarum obsequio ceteris que ibidem famulis Christi; raro preter maiora sollempnia vel artiorem necessitatem plus quam semel per diem manducaverit, semper si non infirmitas gravior prohibuisset, ex tempore matutine sine somno usque ad ortum diei in ecclesia precibus intenta persteterit. Sunt etiam qui dicant quod et prophetie spiritu et pestilentiam qua ipsa esset moritura predixerit et numerum quoque eorum qui de suo monasterio hoc essent de mundo palam rapiendi cunctis presentibus intimavit. Rapta est autem ad dominum in medio suorum post annos vii. ex quo abbatisse gradum susceperat, et eque ut ipsa iusserat, non alibi quam in medio eorum iuxta ordinem quo transierat ligneo in locello sepulta. Cui successit in ministerium abbatis se soror eius Sexburg, quam habuerat in coniugem Earchonberecht rex Cantuariorum. Et cum sedecim annis esset sepulta, placuit eidem abbatisse lavari ossa eius et in locello novo posita in ecclesiam transferri; iussitque quosdam de fratribus querere lapidem de quo locellum in hoc facere possent. Qui ascensa navi (ipsa enim regio Elege undique est aquis ac paludibus circumdata, neque lapides maiores habet) venerunt ad civitatulam quandam desolatam non procul inde sitam, que lingua Anglorum Grantacestyr vocatur, et mox invenerunt iuxta muros civitatis locellum de marmore albo pulcherrime factum, operculo quoque similis lapidis aptissime tectum. Unde intelligentes a domino suum iter esse prosperatum, gratias agentes detulerunt ad monastrium. Cumque corpus sacre virginis ac sponse Christi aperto sepulchro esset prolatum in lucem, ita incorruptum inventum est ac si eodem die defuncta esset sive humo condita, sicut et prefatus antistes Wilfrid et multi qui novere testantur. Sed certiore noticia medicus Cynifrid, qui et morienti illi et elevate tumulo affuit

F viii. k. iulii